OFFICIO DELLA IMMACOLATA CONCEZIONE DELLA B. VERGINE MARIA...

santo Bonaventura (santo), Borbone di Napoli casa

OFFICIO

DELLA

IMMACOLATA CONCEZIONE

DELLA

B. VERGINE MARIA

COMPOSTO DA

S. BONAVENTURA



NAPOLI
DALLA TIPOGRAFIA DI REALE
A spese di un Divoto
1850.

In nomine Patris , etc.

Eja , labia mea ,
Nunc annuntiate
Laudes et praeconia
Virginis Immaculatae.

Domina in adjutorium meum intende. — Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut etc.
Immaculatae Mariae Virginis Conceptio.— Sit nobis semper salus et protectio.

Canticum Triumphale , et Jubilum Marianum.

Cantemus Dominae gloriosae Virgini Mariae , in hymnis et confessionibus benedicamus eam. Domina nostra , omnipotens post Deum Nomen ejus : currus Pharaonis , et exercitum ejus projecit in mare. — *Immaculata Mariae Virginis Conceptio , Sit nobis etc.*

Dextera tua, Domina , magnificata est in fortitudine ; quia in multitudine misericordiae tuae stravisti adversarios meos ; de ore leonis liberasti me , Domina , et tanquam

infantem genitum Mater suscepisti me Immaculata. — *Sit nobis semper etc.*

O Domina carissima mea, tege me mirabili possessione tua: tuus totus ego sum, et omnia mea tua sunt, Virgo super omnia benedicta: ponam te sicut signaculum super cor meum, quia fortis est ut mors dilectio tua. — *Immaculata etc. Sit nobis etc.*

Domina, audivi auditionem tuam, et obstupui; consideravi opera tua, et expavi. Domina, opus tuum circa medium annorum vivificasti illud: confitebor tibi, Domina, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. — *Sit nobis etc.*

Operuit Coelos gloria tua, et misericordia tua plena est Terra; egressa es, Virgo, in salutem Populi tui, in salutem cum Christo tuo: o benedicta in manibus tuis est reposita nostra salus: recordare pia paupertatis nostrae: quem vis, ipse salvus erit; et a quo avertas vultum tuum, vadit in interitum. — *Immaculata, etc. Sit nobis, etc.* — *Gloria Patri, etc.* — *Sit nabis, etc.* — *Immaculata, etc.* — *Sit nobis, etc.*

DOMENICA.

Inno. Salve Mundi Domina,
Coelorum Regina,
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.

Salve plena gratiae,
Clara luce divina,
Mundi in auxilium,
Domina festina.
Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, aetera:
Te pulchram ornavit
Sibi electam Sponsam,
Quae in Adam non peccavit.

Antiph. Sicut lilium.

1. *Psalmus. Pacis et Indulgentiae.*

Beatus vir, qui diligit Nomen tuum, Virgo Maria; gratia tua animam ejus confortabit.

Venite ad eam, qui laboratis et tribulati estis; et dabit refrigerium animabus vestris.

Delectetur cor vestrum in salutatione ejus: inebriamini ab uberibus dulcoris illius.

Dulcis est memoria ejus super mel et favum, et amor ejus super omnia aromata.

Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bona, et indignationem Filii tui avertas a nobis.

Inveniant gratiam peccatores apud Deum, per te inventricem gratiae et salutis.

Respirent ad indulgentiam humiles poenitentes : sana contritiones cordis eorum.

Pacem et indulgentiam, Virgo, nobis impetra, et palmam de hostibus et triumphum.

Gloria Patri, etc.

2. Psalmus. Refugii et salutis.

Venite exultemus Dominae nostrae, jubilemus salutiferae Mariae Reginae nostrae.

Praeoccupemus faciem ejus in jubilatione, et in canticis collaudemus eam.

Venite adoremus, et procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra.

Clamemus humiles ad Puerperam Virginem, offeramus ei planctus et suspiria nostra.

Non invenitur propitiatio sine illa, nec salus sine fructu illius.

Per illam peccata purgantur, per fructum illius animae dealbantur.

Beata Maria intelligit super egenum et pauperem, in ejus laudibus permanentem.

Respiremus ad illam in fine nostro ; et reserabit nobis atria triumphantium.

Gloria Patri, etc.

3. Psalmus. Fiduciae et Consolationis.

Domina, Dominus noster, per te factus est Frater noster et Salvator noster.

Magnificamus te gratiae inventricem, per quam saecula reparantur.

Date magnificentiam Nomini ejus, collaudate in saeculum conceptum atque partum ejus.

Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est adjutrix et vestra specialis Advocata.

Respirate ad illam perditi peccatores, et perducet vos ad indulgentiae portum.

Delectamini in laudibus ejus, et exaudiet petitiones cordis vestri.

Accedite ad eam in tentationibus vestris, et stabiliet vos serenitas vultus ejus.

Amplectamur Mariae vestigia peccatores, et ejus beatis pedibus provolvamur.

Teneamus eam fortiter, nec dimittamus, donec ab ea meruerimus benedici.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adae.

Elegit eam Deus, et praelegit eam. — In Tabernaculo suo habitare fecit eam.

Domine protege orationem meam. — Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Ave Sanctissima Maria Mater Dei, Regina Coeli, Porta Paradisi, Domina Mundi. Tu concepta sine peccato originali, et ideo Immaculatissima. Tu sine macula concepisti Jesum Salvatorem. Tu fuisti verissime ante partum, in partu, et post partum Virgo inviolata et illibata. Fac me tuis sanctis precibus pure, pie, et sancte vivere, et ora pro nobis Jesum Filium tuum dilectum, ut ejus semper voluntatem sanctissimam fa-

ciamus, et post mortem me suscipe, et ab omnibus malis mentis et corporis libera me, et alios fac me liberare; opera misericordiae acquirere, et in gloria Paradisi in aeternum tecum gaudere. Amen.

Inno di S. Bonaventura.

Te Matrem Dei laudamus: te Mariam Virginem profitemur.

Te aeterni Patris Sponsam, omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, et Arcangeli: tibi Throni, et Principatus fideliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates, omnes Virtutes Coeli Coelorum, et universae Dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori, tibi Cherubim, et Seraphim exultantes adsistunt.

Tibi omnis Angelica Creatura, incessabili voce proclamat.

Sancta, Sancta, Sancta Maria: Dei Genitrix, Mater et Virgo.

Pleni sunt Coeli, et Terra, majestatis gloriae fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum Chorus, sui Creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum Coetus candidatus, Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum Exercitus, Trinitatis Templum appellat.

Te sanctarum Virginum Chorea amabilis, virginitatis, et humilitatis exemplum praedicat.

Te tota coelestis Curia, Reginam honorat.

Te per universum Orbem Ecclesia, invocando concelebrat Matrem divinae Majestatis.

Venerandam te veram Regis coelestis Puerperam, sanctam quoque, dulcem, et piam.

Te Angelorum Domina, tu Paradisi Janua.

Tu Scala Regni coelestis et gloriae, tu Thalamus, tu Arca pietatis et gratiae.

Tu vena misericordiae, tu Sponsa et Mater Regis aeterni.

Tu Templum et Sacrarium Spiritus Sancti: totius beatissimae Trinitatis nobile Triclinium.

Tu Mediatrix Dei; et hominum amatrix.

Tu agonizatrix pugnantium, Advocata pauperum: miseratrix et refugium peccatorum.

Tu erogatrix munerum, superatrix ac terror daemonum et superborum.

Tu Mundi Domina, Coeli Regina: post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, miserorum solatium, pereuntium refugium.

Tu Mater omnium Beatorum gaudium plenum post Deum, omnium supernorum Civium solatium.

Tu promotrix Justorum, congregatrix errantium, promissio Patriarcharum.

Tu Veritas Prophetarum, Praeconium, et Doctrix Apostolorum, Magistra Evangelistarum.

Tu Fortitudo Martyrum, Exemplar Confessorum, Honor et Festivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, Filium Dei suscepisti in uterum.

Per te, expugnato hoste antiquo, sunt aperta Fidelibus Regna Coelorum.

Tu cum Filio tuo Sedes ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria: quem nos ad judicandum credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, nobis tuis famulis subveni, qui pretioso sanguine Filii tui redempti sumus.

Aeterna fac, pia Virgo, cum Sanctis tuis nos in gloria numerari.

Salvum fac Populum tuum Domina: ut simus participes haereditatis Filii tui.

Et rege nos; et custodi nos in aeternum.

Per singulos dies, o pia, te salutamus.

Et laudare te cupimus usque in aeternum, mente, et voce.

Dignare, dulcis Maria, nunc et semper sine delicto nos conservare.

Miserere pia nobis: miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum; quia in te, Virgo Maria, confidimus.

In te, dulcis Maria, speramus: nos defendas in aeternum.

Te decet laus, te decet imperium: tibi virtus et gloria in secula seculorum. Amen.

Felix es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiae Christus Deus noster. Ora pro Populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.

Antiph. Haec est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuisti. — Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oremus. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti; ita nos quoque mundos, ejus intercessione, ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Deo gratias, et Mariae Immaculatae.

Si cominci recitando dall' In nomine Patris *pag.* 3 *fino a pag.* 4; *ed a siffatto modo in ciascun giorno.*

Inno. Salve, Virgo sapiens,
Domus Deo dicata.
Columna septemplici,
Mensaque exornata.
Ab omni contagio
Mundi praeservata:
Annae Sanctae in utero
Concepta Immaculata.
Tu Mater Viventium,
Et Porta es Sanctorum,
Nova Stella Jacob,
Domina Angelorum.
Diabolo terribilis
Acies Castrorum,
Portus et refugium
Sis Christianorum.

Ant. Sicut lilium.

1. Psalmus. Gratae Oblationis.

Omnes Gentes plaudite manibus, et psallite in jubilo Virgini gloriosae.

Quoniam ipsa est porta vitae, janua salutis, et via nostrae reconciliationis.

Spes paenitentium, solamen lugentium, pax beata cordium atque salus.

Multa et mirabilia sunt dona tua, Domina ; incomparabilia sunt munera gratiarum tuarum.

Beneficiis tuis plenus est Mundus : superant coelestia , penetrant et inferna.

Gratia et dulcedine tua pleni sunt Coeli , et Terra ; undique tuis beneficiis irretivisti nos semper.

Tu enim salus mea in Domino : quae me morti adjudicatum liberasti.

Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum ? Domina suscipe me.

Gloria Patri etc.

2. Psalmus. Triumphalis Coronationis.

Magna es , Domina , et laudabilis valde in Civitate Dei Coeli , in universa Ecclesia Electorum ejus.

Ascendisti , alternantibus hymnidicis Angelicis Choris , Archangelis constipata , rosis et liliis coronata.

Occurrite illi Potestates , et Principatus , obviate ei Virtutes , et Dominationes.

Cherubim , et Throni, et Seraphim exaltate eam, et constituite eam a dexteris Sponsi amantissimi Filii ejus.

Tonate illi desuper et date illi laudem : glorifica illam , Terra , cum omnibus habitatoribus tuis.

Laudate eam simul, Astra matutina ; concentum illi facite , omnes Filii Dei.

Cantate ante eam, Chori virginales; et adorate Thronum ejus, quia sanctus est.

Laudate et exaltate eam, Virgines filiae Sion; quia desponsabit vobis Regem Angelorum.

Gloria Patri etc.

3. *Psalmus. Vulneris et Amoris.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita ad amorem tuum anhelat anima mea.

Diligam te, Domina Coeli et Terrae; et in Gentibus nomen tuum invocabo.

Ure cor meum igne amoris tui; et cingulo castitatis restringe renes meos.

Accendatur amore tuo tepor meus: gratia tua expellatur torpor meus.

Vulnera cor meum caritate tua: fac me dignum gratia et muneribus tuis.

Quam dulcia diligentibus te eloquia tua, Domina! quam suavia sunt tuarum stillicidia gratiarum!

Quam dulcia peccatoribus eloquia tua, Domina! super omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo.

Suavitatum tuarum affluentia cor meum alienavit a me; et caro mea mirabiliter exultavit in te.

Dulcore tuo liquefactum est cor meum; amore tuo inflammata sunt viscera mea.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter Filias Adae.

Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.—Et exultavit illam inter omnia opera sua.

Domina protege orationem meam. — Et clamor meus ad te veniat.

Si termini dall' orazione Ave Sanctissima *pag.* 7 *fino alla pag.* 11; *e così in ogni giorno.*

MARTEDÌ.

Inno. Salve Arca foederis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher aeteris,
Rubus visionis.
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Nnminis,
Favusque Samsonis.
Decuit Natum tam nobilem,
Matri praecavere
Ab originali
Labe Matris Evae.
Almam, quam elegerat
Genetricem vere,
Nulli prorsus sinens
Culpae subjacere.

Antiph. Sicut lilium.

1. Psalmus. Clementiae et Miserationis.

Domina, venerunt Gentes in hereditatem Dei, quas tu meritis tuis Christo confederasti.

Pulchrae sunt viae tuae; et semitae tuae pacificae, gyrum Terrae sola circuis, ut subvenias invocantibus te.

Copiosa facta est super me misericordia tua; et dilatata est super me clementia.

Imperfectum meum aspexit oculus tuus, et palpebrae tuae noverunt vias meas: cognovisti ruinam et trasgressionem meam.

Non avertas sacrum aspectum tuum, neque abomineris me propter immunditiam meam.

Inclina vultum Dei super nos, et coge illum peccatoribus misereri.

Serenet corda nostra lux misericordiae tuae, et recreet nos pacis tuae dulcedo.

Splendor vultus tui fulgeat super nos, ut servetur conscientia nostra apud Altissimum.

Gloria Patri, etc.

2. Psalmus. Dulcedinis et Pulchrae Dilectionis.

Salvum me fac, Mater pulchrae dilectionis, fons clementiae, et dulcor pietatis.

Omnes sitientes venite ad illam, de fonte suo gratanter vos potabit.

Quam magna est multitudo dulcedinis tuae,

Domina! quam praeparasti diligentibus, et sperantibus in te.

Stilla nobis, Domina, gratia uberum tuorum, ex manante lacte dulcedinis tuae refice viscera puerorum tuorum.

Stilla nobis guttam suavitatis tuae: quia tu es pincerna gratiae dulcoris.

Distilla mihi suavitatem gratiarum tuarum, et tuorum charismatum fragrantiam, et odorem.

Spiritus enim tuus super mel dulcis, et haereditas tua super mel et favum.

Esto refrigerium nostrum, gloriosa Mater Christi; quia tu es totius Religionis firmamentum.

Gloria Patri, etc.

3. Psalmus. Protectionis et Luminis.

Laudate pueri Matrem Dei: glorificate senes nomen ejus.

Benedicta sit Maria, Mater Christi: ipsa enim est via ad Patriam sanctitatis.

Excelsus super Cherubim thronum ejus, et sedes ejus super cardines Coeli.

Super humiles vultus ejus: et super confidentes in eam aspectus illius.

Misericordia ejus super omnem carnem: et eleemosyna illius usque ad extremum Terrae.

Illumina splendore tuo caecitatem meam: dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Tu es Mater illuminationis cordis mei: tu es nutrix refovens mentem meam.

Illumina me, Stella maris; clarifica me, Virgo clarissima.

Miserere mei, Domina, miserere mei; quia paratum est cor meum exquirere voluntatem tuam.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adae.

Ego in altissimis habito. — Et thronus meus in columna nubis.

MERCOLEDÌ.

Inno. Salve Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen moerentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta,
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpae originalis.
Civitas Altissimi,
Porta Orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.

Antiph. Sicut lilium.

1. Psalmus. Splendoris et Gloriae.

Dominus regnavit, irascuntur Populi: Maria super Cherubim sedet a dexteris.

Formositas et gloria in vultu illius; et gratia in oculis ejus.

Magna est in Sion gloria tua, Domina, et in Jerusalem Magnificentia tua.

Amicta solari lumine, sicut vestimento, et duodecim stellarum corona rutilans radianti.

Lunaris pulchritudo sub pedibus tuis: Astra te glorificant jugiter matutina.

Sanctuarium, quod firmaverunt manus tuae, est sanctum Templum Corporis tui.

In te refulget species castitatis, lumen justitiae, et splendor veritatis.

Extende ad nos brachium tuum, Virgo gloriosa: et ne avertas a nobis gloriosum vultum tuum.

Gloria Patri, etc.

2. Psalmus. Decoris et Venustatis.

Domina mea, quis similis erit tibi? quae gratia et gloria superemines universas.

Benedicti sint oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer convertere super nos peccatores.

Benedictum sit lumen et splendor faciei tuae: benedicta sit gratia vultus tui.

Benedixit te Dominus in misericordia sua: gratiam et decorem posuit in labiis tuis.

Manus tuae diligunt myrrham primam, et digiti tui unguenta gratiarum.

Et fragmen mali punici est guttur tuum: et spiramen oris tui, suave compositum thymiama.

Tu es rutilans et decora, nubes rorifera, et consurgens Aurora.

Pulchra es et clara et Luna plenissima: et tamquam Sol refulget sacer aspectus tuus.

Gloria Patri, etc.

5. *Psalmus. Dilectae et Formosissimae.*

Beati, quorum corda te diligunt, Virgo Maria, peccata ipsorum a te misericorditer diluentur.

Domina, dilexi decorem faciei tuae, et veneratus sum sanctam Majestatem tuam.

Ne avertas faciem tuam a me; quia speciem et decorem tuum a juventute mea concupivi.

Te amavi et exquisivi, Regina Coelorum, misericordiam tuam, et gratiam tuam ne subtrahas a servo tuo.

Tuam pulchritudinem Sol, et Luna mirantur: tibi Angelicae potestates serviunt et famulantur.

Vox tua dulcis super omnem melodiam: armonia Angelica ei non valet comparari.

Benedictum sit corpus tuum sanctum: benedicta sit anima tua sanctissima.

Universas enim foeminas vincis pulchritudine carnis: superas Angelos, et Archangelos excellentia sanctitatis.

Adorate illam in decore illius: glorificate Opificem pulchritudinis ejus.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adae.

Dignare me laudare te, Virgo Sacrata.— Da mihi virtutem contra hostes meos.

GIOVEDÌ.

Inno. Salve Urbs refugii,
Turrisque Davidica
Munita propugnaculis,
Armis insignita.
In Conceptione
Caritate ignita:
Draconis potestas
Est a te contrita.
Haec est mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abigail Virgo
Verum fovens David.
Rachel Curatorem
Aegypti gestavit;
Salvatorem Mundi
Maria portavit.

Antiph. Sicut lilium.

1. Psalmus, Spei et Vitae.

Dilexi Matrem Dei Domini mei : et lux miserationum ejus refulsit mihi.

Terge faeditatem meam , Domina , quae semper rutilas puritate.

Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi : tuo odore roseo mortui reviviscunt.

Expergiscere de pulvere, anima mea : solve vincula colli tui , perge in occursum Reginae Coeli.

In dextera ejus ignea lex ; et in circuitu ejus Sanctorum millia.

Mandata Dei ante oculos ejus, et justitiae regula in corde ejus.

Odor vitae de illa progreditur , et omnis salus de corde illius.

Convertere anima mea in laudem ipsius ; et invenies refrigerium in novissimis tuis.

Gloria Patri , etc.

2. Psalmus. Jucunditatis et Justitiae.

Quam bonus Israel Deus his , qui colunt Matrem tuam et venerantur !

Quam bonum et quam jucundum, Maria, diligere nomen tuum !

Unguentum effusum et aromaticum est nomen tuum , diligentibus ipsum.

Scire et cognoscere te est radix immortalitatis; et enarrare virtutes tuas est via salutis.

Paratum cor meum, Domina, paratum cor meum, laudes tibi psallere et cantare.

Domina Angelorum, Regina Mundi, munda cor meum igne amoris et caritatis tuae.

Laetifica nos dulcifico sono oris tui, et liquore tuo roseo perfunde corda nostra.

Misericordia tua rigat Universum: Domina in salutari tuo vivifica me.

Gloria Patri, etc.

5. Psalmus. Benedictionum.

Benedic, anima mea, Matri Jesu Christi; et omnia praecordia mea glorificate nomen ejus.

Benedictum sit gloriosum Nomen tuum, quod os Domini mirabiliter nominavit.

Benedictum sit eloquium tuum: benedicta sint omnia verba oris tui.

Benedictum sit cor tuum, Domina, quo ardenter et sinceriter Deum dilexisti.

Benedictus sit, qui te sanctificavit; et Mundam de matris utero te produxit.

Benedicti sint Pater et Mater, qui te genuerunt; benedictus sit venter qui te portavit, et ubera, quae te lactaverunt.

Benedicta sint ubera tua, quibus lacte Deifico Salvatorem enutristi.

Benedicta tu, virga Jesse sublimis, quae te usque ad sedentem in Throno dilatasti.

Benedic, Domina, benedicentes te; et ne unquam avertas ab eis gratiosum vultum tuum.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adae.

Tota pulchra es amica mea.— Et macula originalis nunquam fuit in te.

VENERDÌ.

Inno. Salve Horologium,
In quo, ut revertatur
Sol per decem lineas,
Verbum incarnatur.
Homo, ut ab inferis.
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.
Solis hujus radiis
Maria coruscat,
Consurgens ut Aurora,
In conceptu micat.
Lilium inter spinas
Caput serpentis conterit,
Fulget pulchra ut Luna,
Errantes collustrat.

Antiph. Sicut lilium.

1. Psalmus. Anhelantis in Coelum.

Deus judicium tuum Regi da, et misericordiam tuam Reginae Matri ejus.

Deus ultionum Dominus; sed tu Mater misericordiae ad miserendum inflectis.

In manu tua salus et vita consistunt, laetitia perpetua et aeternitas gloriosa.

Dispositione tua perseverat Mundus; tuus totus ego sum, salvum me fac.

Resperge cor meum dulcedine tua: fac me oblivisci miserias hujus vitae.

Trahe me post te vinculis misericordiae tuae; et fomentis gratiae et pietatis tuae sana dolorem meum.

Concupiscentias sempiternas excita in anima mea; et de gaudio Paradisi inebria mentem meam.

Quia tu es Genitrix Vitae meae, tu es lactatrix Salvatoris mei: initium et finis totius salutis meae.

Gloria Patri, etc.

2. Psalmus. Peregrinantis ad beatam Sion.

Laetatus sum in te, Regina Coeli; quia te duce in domum Domini ibimus.

Circumdederunt me dolores mortis; et visitatio Mariae laetificavit me.

Eripe me de inimicis meis, Domina Mun-

di : exsurge in occursum meum, Regina pietatis.

Converte amabilem vultum tuum super nos; confunde et destrue omnes inimicos nostros.

Non dormit, neque dormiet pupilla oculi tui; ut tua semper custodia protegamur.

Memento nostri, perditorum Salvatrix; exaudi planctus cordis nostri.

In pulchritudine pacis et requie opulenta, cibabis nos post laborem peregrinationis nostrae.

Misericordias tuas, Domina, in sempiternum decantabo.

Gloria Patri, etc.

3. *Psalmus. Morientis in manibus Virginis.*

In exitu animae meae de hoc Mundo, occurre illi, Domina, et suscipe eam.

Consolare eam vultu sancto tuo: aspectus daemonis non conturbet eam.

Esto illi scala ad regnum Coelorum: et iter rectum ad Paradisum Dei.

In convertendo faciem tuam serenissimam super nos, laetificabis nos, virginea Mater Dei.

Impetra nobis indulgentiam plenam; adsiste pro nobis ante Tribunal Dei.

Gratiosus tuus vultus mihi appareat in extremis; formositas faciei tuae laetificet spiritum meum egredientem.

Protegat me semper gratia tua; praesentia tua illustret finem meum.

In te Domina speravi, non confundar in aeternum: in gratia tua suscipe me.

In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum, totam vitam meam, et diem ultimum.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adae.

Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens.—Et quasi nebula texi omnem terram.

SABBATO.

Inno. Salve Virgo florens
Mater illibata,
Regina clementiae
Stellis coronata.
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.
Per te, Mater gratiae,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.
Patens Coeli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum.

Antiph. Sicut lilium.

Canticum 1.

Audite Coeli quae loquar de Maria; audiat Terra verba oris mei.

Magnificate ipsam mecum semper; et exaltemus Nomen ejus in seculum seculi.

Generatio prava atque perversa, agnosce Dominam nostram, Salvatricem tuam.

Nunquid non ipsa est Mater tua, quae possedit te, et in fide generavit te?

Si hanc dimittis, non es amicus Summi Caesaris: quoniam ipse sine ea non salvabit te.

Utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres!

Quemadmodum infans sine nutrice non potest vivere; ita nec sine Domina nostra potes habere salutem.

Sitiat ergo anima mea ad ipsam; tene eam nec dimitte, donec benedixerit tibi.

Repleatur or tuum laude sua: decantata tota die magnificentiam ejus.

Gloria Patri, etc.

Canticum 2.

Benedicite omnia opera Dominae gloriosae: laudate et superexaltate eam in saecula.

Benedicite, Angeli, Dominae nostrae; benedicite, Coeli, Dominae nostrae.

Benedicat omnis creatura Dominam nostram, quam Rex sic voluit benedici.

Benedicta sis, o Summi Regis Filia, quae odore praeis cuncta lilia.

Benedicta sis Corona Dominarum omnium: benedicta sit gloria Jerusalem.

Odor tuus sicut agri pleni, cui benedixit Dominus: qui in benedicentes te redundat, irrigans omnia intima eorum.

Qui benedixerit tibi, o Virgo, sit ille jugiter benedictus.

Qui maledixerit tibi, Rosa candidissima, sit ille maledictus.

Non recedat de domo servorum tuorum vini, et olii abundantia.

In nomine tuo omne genuflectatnr, coelestium, terrestrium, et infernorum.

Benedicamus Deum, qui te creavit; benedictus uterque parens, qui te generavit.

Benedicta sis, Domina, in Coelo, et in Terra: et laudabilis et gloriosa, et superexaltata in saecula.

Gloria Patri, etc.

Canticum 3.

Benedicta sis, Domina et Mater Dei mei Israel; qui per te visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit unicornu salutaris castitatis tuae: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Isaiae, aliorumque sanctorum Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis praesta, Virgo virginum: et de manu omnium qui nos oderunt pacem nobis tribue.

Et fac misericordiam pro parentibus, et nobis: ut memor sis testamenti omnipotentis Dei.

Quod juravit ad Patres nostros, Abraham, et semini ejus in saecula.

Sic sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, quiete serviemus illi.

In sanctitate et justitia coram te, omnibus diebus nostris.

Et tu Maria, Prophetissa Dei vocaberis: quoniam novisti quod respexit humilitatem Ancillae suae.

Per quam dedit scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum.

Per viscera multitudinis misericordiae tuae visita nos, Stella matutina, oriens ex alto.

Illumina tenebras sedentium in umbra mortis, et eas luce dilectissimi Filii tui digneris instillare.

Miserere, misericordiae Mater, nobis miseris peccatoribus: quia post retroacta peccata poenitere negligimus, ac multa quotidie poenitenda committimus.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adae.

Oleum effusum, Maria, Nomen tuum.— Servi tui dilexerunt te nimis.

FINIS.